

pore suae absentiae vices ipsius tam in altari proprio quam in choro aliquatenus negligantur, sed iuxta formam et modum praescriptum interim servantur per alium fideliter et complete. Ut itaque omnia et singula praemissa a nemine infringi aut calumpniari valeant, sed potius inconcussa perpetuae firmitatis robur obtineant, nostri sigilli munimine praesentem paginam duximus roborandam sub interminatione anathematis districtius inhibentes, ne quis vicariam eandem in aliquo praedictorum ausu temerario defraudet, impediat aut molestat.

Nos quoque Henricus praepositus, Henricus decanus totumque praelibatae ecclesiae Misnensis capitulum ad exprimendum consensum nostrum una cum venerabili domino nostro episcopo praedictis omnibus et singulis, quae grata rata et firma habemus, unanimiter et concorditer accessisse similiter hanc litteram sigillo nostro volumus communiri. Actum et datum Misnae anno domini millesimo CCC°. XIII°. III°. Kalendas Aprilis. Testes huius sunt dominus Alb. de Luppe archidiaconus Nisicensis, Conradus de Strele praepositus Budissinensis, Lutoldus cantor, Reinhardus et Bernhardus de Kythelitz canonici Misnenses, Herbordus, Zybotho, Petrus de Budissin, Conradus de sancto Johanne, Thylm. de Goltberg et Hartmannus perpetui vicarii Misnenses et alii quam plures fide digni.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden; an Fäden von rother und gelber Seide hängen die Siegel des Bischofs (mit Rücksiegel) und des Capitels.

No. 354. 355. 1313. 23. Apr.

B. Withego II. eignet mit Zustimmung des Capitels gewisse Zinsen, deren Lehn von den bisherigen Inhabern ihm aufgelassen worden, dem Cantor des Hochstifts Lutold von Gurwitz, und dieser überweist sie dem Capitel zur Feier seines Jahrgedächtnisses und des Festes des h. Martin.

In nomine domini amen. Wythigo dei gratia Misnensis ecclesiae episcopus universis Christi fidelibus, ad quos praesentes litterae pervenerint, salutem in domino sempiternam. Rationi congruit et iuri consonum, ut ea quae in tempore aguntur, scripti testimonio perhennentur propter memoriam hominum, quae labilis est et caduca. Ea propter universis Christi fidelibus tam praesentibus quam futuris cupimus esse notum, quod cum honorabilis vir Lutoldus de Gurwitz cantor nostrae ecclesiae Misnensis, quatuor talenta Vribergensium denariorum in villa Gana ad sanctum Gothardum^{a)} sita, erga Nicolaum Cunkonis Misnensis ecclesiae canonicum et fratres suos pro XXXIII^{or} scocis emerit ad anniversarium et ad testamentum ad venerationes sanctorum praedicti Lutoldi cantoris in ecclesia Misnensi instituendos iusto emptionis titulo interveniente, quae quidem III^{or} talenta in Gana dictus Nicolaus Cunkonis et fratres sui a nobis in feodo tenuerunt et in manus nostras libere resignarunt, saepedicto Lutoldo cantori donamus et appropriamus in dei nomine in his scriptis, ac in huius rei evidentiam plenior praesentem litteram nostri sigilli munimine duximus roborandam. Datum Misnae anno domini M°. CCC°. XIII°. IX°. Kalendas Maii feria III^a. in crastino beati Georgii martyris^{b)}.

a) Jahna, Eph. Oschatz. b) Eigenthümlicher Fall einer mehrfachen Irrung bei Angabe des Datums. Der 23. April (IX. Kal. Maii) fiel nämlich im J. 1313 auf einen Montag, nicht Dienstag (feria III., 24. Apr.), der dies crastinus b. Georgii ist aber stets der 25. April.